

De Minio autem agit, quatenus minerale audit, & ita Cinnabrium, quatenus quoque minerale est, à Minio non distinguitur. Scribit quidem *Plinius* arenosam esse Cinnabarin, & *Theophrastus* eam lapideam inducit; verum hæc nihil Minii & Cinnabaris naturæ detrahunt. Lapidem enim sæpè multum de arenis participant; hinc quibusdam in locis lapides arenosi, *Sandsteine* reperiuntur, & nonnunquam etiam in fodinis argentariis circa Cinnabarin multum arenæ rubræ, ex qua etiam Cinnabaris arte parari potest, invenitur. Nihil quoque officit Cinnabarin duram & lapideam esse, cum etiam dicere possimus, Minium esse durum & lapideum. Minium enim seu Cinnabaris propriè nihil aliud est, quàm lapis ex purpura ad ruborem declinans, insigniter gravis, & argenti vivi hospes. Minium hoc lapidis fissilis generi ita adhæret, ut innatum videri possit. Nec Minium solum de terræ natura participat, sed Cinnabaris etiam, quæ aliàs terra mineralis lapidescens appellatur. Terra ergò ista nulla inter hæc duo differentiam parit, sed ambo potius unum & idem esse confirmat. Neque etiam Minium seu Cinnabaris vera terra est, sed propter analogiam tantum ita dicitur.

## CAPUT V.

*Cinnabaris Mineralis, seu Minii Naturalis Peronymiam delineat.*

**V**Oces, quas in hoc Examine perscrutamur, sunt præcipuè Minium & Cinnabaris, à quibus etiam aliæ egregiæ voces derivantur denomi-

nationemque suam habent. Sic apud *Græcos* legitur  $\mu\iota\lambda\tau\omega\pi\acute{\alpha}\rho\eta\textcircled{C}$ , & exponitur, habens genas Minio infectas, &  $\mu\iota\lambda\tau\acute{\omega}\delta\eta\varsigma$  dicitur ruber minio: sic etiam  $\tau\acute{o}\pi\textcircled{C} \mu\iota\lambda\tau\acute{\omega}\delta\eta\varsigma$  appellatur locus, in quo nives observantur rubræ: Rubens minium legitur apud *Tibullum lib. 2. Eleg. 1. 11.* & rubens minio apud *Virgilium Eclog. 10.*  $\mu\iota\lambda\tau\acute{\omega}\rho\upsilon\chi\textcircled{C}$  est minii effossor; hinc  $\mu\iota\lambda\tau\omega\rho\upsilon\chi\iota\alpha$ , minii effossio. Miniare nihil aliud est, quàm minio pingere. Hinc apud *Plinium lib. 33. cap. 7. hist. nat.* legitur: *Hac religione etiam nunc addi in unguenta cœnæ triumphalis, & à censoribus in primis fovem miniandum locari.* Plittacem vocat viridem toto corpore, torque tantum miniato in cervice distinctam *Idem lib. 10. cap. 42. histor. nat.* Miniarius pictor ille vocatur, qui in picturis minio utitur. Miniarius adjectivum etiam est, ut miniarium metallum. Sic *Plinius l. c. Celeberrimum ex Sisaponensi regione in Batica, miniario metallo vegetigalibus populi Romani, nullius rei diligentiori custodia.* Miniatum & miniatulum est, quod minio tinctum conspicitur; ut miniatula cera, quam rubram dicimus. Indè miniatulâ cerâ aliquid notare, est loca corrigenda annotare. Ita *Cicero Dolabell. in epistol. ad Atticum lib. 15. 328. 4.* *His literis scriptis me ad σουτᾶξεις dedi, quæ quidem vereor, ne miniatulâ cerâ tuâ pluribus locis notanda sint.* Vetus còdex habet: ne miniatâ cerulâ. *Idem ad Atticum lib. 16. 336. 1.* *Cerulas enim tuas miniatulas illas extimescebam.* Minicularius *Sim. Scharadio in Lexico juridico* appellatur, qui minio quid inficit, *lib. 3. de indulgent. debitor. lib. 11. c. Th.* Minium verò, undè ematur, & quomodo paretur, *Vitruvius Architectur. lib. 7. cap. 8.* docet. Miniculator, corporista vulgò est, qui capitales literas scriptis libris

minio aut rubricâ præponit. *Ulpianus de operis libert. l. ut jurisjurandi. Si fortè, inquit, librarius, vel miniculator, vel calculator, &c.* Miniaria locus est, undè eruitur minium. *Plinius l. c. Sisaponensibus autem miniariis sua vena arena sine argento excoquitur: auri modo probatur.* Miniacum, quod ex minio est. *Vitruvius Architectur. lib. 7. cap. 8. Parietes passim expolitione miniacâ expoliebantur.* Miniaceum est illud, quod ad minium & floridum colorem pertinet. Hoc miniarum Cinnabari intra corpus assumptum venenum quidem est: expetitur tamen olim fuit propter floridum colorem, qualem etiam habet in psittaci cervice torques miniatus. Et ideò, monente *Vitruvio Architectur. lib. 7. cap. 9.* Minium in picturis adhibitum, vel etiam in expolitionibus conclavium tectoriis inductum, permanere sine vitii suo colore debet. *Minus fluvius Hispania est, à Minio ita dictus, & certè Minii nulla terra feracior Hispaniâ, teste Plinio & Trogo.*

Præterea Cinnabaris, cum *Græcis* dicatur *κινναβας*, hinc oritur verbum *κινναβαειζω* Cinnabaris colore sum; colore Cinnabarin imitor. *Dioscorides lib. 5. cap. 69.* nec non *κινναβαειν*, Cinnabarinus, veluti color Cinnabarinus, & collyrium Cinnabarinum.

## CAPUT VI.

*Cinnabaris Mineralis, seu Minii Naturalis differentias constituit.*

**P**ER Cinnabarin & Minium, quod idem sunt *Aristoteles, Theophrastus, Galenus, Plinius, Vitruvius*